

Ex Regest. in Secret. Brev.

Hebræorum synagoga in Ducatibus Ferraria, & Urbini, & earum quilibet tenentur singulis annis decem duc. auri de Camera solvere Collegio Neophytorum, & Cathecumenorum de Urbe.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Nonnulli Pontifices a quolibet Hebræorum Synagoga decem duc. auri de Camera Collegio Neophytorum solvi decreverunt.

§.1. Cum aliis pia memoriae Julius Papa Tertius Prædecessor noster in subventionem, & alimoniam pauperis Domus Neophytorum ad fidem catholicam converteretur, seu cathecumenorum Urbis nuncup. decreverit, quamlibet synagogam, adunantiam, seu universitatem Hebræorum Urbis, & aliarum Civitatum, Terrarum, & locorum mediate, & immediate ditioni Sedis Apostolicæ subjectionem teneri solvere eidem Domui Neophytorum ducatos decem auri de Camera quolibet anno; quam concessionem nendum confirmavit, sed ampliavit felicis recordationis Paulus Papa IV. etiam Prædecessor noster, qui decrevit, ad eandem annuam solutionem cogendas esse omnes synagogas, & adunantias hebræorum, etiam suppressas, ut scilicet synagoga, & adunantia extantes deberent solvere etiam pro synagogis, & adunantiis extinctis, quæ omnia fuerunt quoque a rec. mem. Pio Papa Quarto confirmata.

Cum tamen Pius V. Hebræos a toto statu Ecclesiastico eici mandavit.

§.2. Verum quia san. mem. Pius Papa Quintus etiam Prædecessor noster eici mandavit Hebræos a toto statu Ecclesiastico, excepta Alma Urbe nostra, & Civitate Anconæ, & emolumentum gabellæ, alias per similes memorie Clementem Papam VIII. etiam Prædecessorem nostrum impositæ super universitate Hebræorum ejusdem Urbis ad favorem prædictæ Domus, seu Collegii Neophytorum, vel Cathecumenorum usque ad summam annuam scutorum 2500. monetæ, fuit ab eodem Clemente Prædecessore reductum ad scuta octingenta annua ex quibus etiam trecenta fuerunt a prædicta Domo, seu Collegio dismembrata, & Monasterio Sanctæ Mariæ Magdalene Converteritarum Urbis perpetuo applicata; propterea prædicta Domo, seu Collegium valde in suis annuis redditibus læsum, & damnificatum remansit, & remanet.

Et ideo prædictum Collegium plurimè damni passum fuerit.

Urbanus dictæ pecuniam a quolibet Hebræorum Synagoga &c. Ducatibus Ferraria, & Urbini solvi mandavit.

§.3. Quapropter Nos indemnitati præfate Domus, seu Collegii consulere volentes, omnium prædictarum omnium, & singularum concessionum, & dispositionum cum inde sequitis quibuscumque, ac aliorum quorumcumque hic forsân de necessitate exprimentorum, seu inferendorum tenores etiam veriores pro plene, & sufficienter expressis, & de verbo ad verbum insertis habentes, motu proprio, certa que scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolicæ potestatis plenitudine, etiam ex voto Congregationis non-

nulorum Prælatorum per Nos ad id deputatorum, tenore præsentium declaramus, & decernimus quaslibet synagogas, universitates, seu adunantias Hebræorum, commorantium in Civitatibus, Terris, & Locis Status, five Ducatus tam Ferraria, quam Urbini nunc, & pro tempore existen. teneri, & obligatas fuisse, & esse solvere præfatum summam decem ducatorum auri de Camera singulo quoque anno tam decurrendo imposterum, quam antea a die devolutionis ipsorum Statuum, five Ducatum ad ipsam Sedem Apostolicam, decurso.

Card. Collegii Protectori facultatem concedit ad Hebræos ad id cogendi.

§.4. Idcirco committimus dilecto filio nostro Antonio tituli Sancti Honuphrii Presbytero Cardinali nuncupato, ejusdem Domus, seu Collegii, ac pro tempore existenti apud Nos, & Sedem Apostolicam, Protectori, quatenus juris, & facti remediis, etiam via executiva, ac omni, & quacumque appellatione, nullitate etiam ex tribus, ac in integrum restitutione remotis, easdem universitates, synagogas, seu adunantias Hebræorum in prædictis Statibus, seu Ducatibus ad Sedem Apostolicam alias devolutis, nunc, & pro tempore habentium existentibus, & earum quamlibet ad præfatum annuam præstationem, ducatorum decem auri de Camera pro earum quolibet in die festo omnium Sanctorum solvendam, & exburgandam cum effectu eidem Domui, seu Collegio Neophytorum, seu Cathecumenorum, cogat, & compellat.

Clausula.

§.5. Decernentes præsentem Literas, & in eis contenta quacumque, etiam ex eo, quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere pretendentes vocati, & auditi non fuerint, aut præmissis non consenserint, seu cause, propter quas præsentem emanarint, adductæ, verificatæ, seu alias justificatæ non fuerint, aut alia quavis de causa quantumvis legitima, juridica, & privilegiata de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitiis, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionem in integrum, a peritionem oris, aut quodcumque aliud juris, vel facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu eo impetrato quemquam uti, seu se juvare in iudicio, & extra nullatenus posse, sed eas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore, & dicto Collegio plenissime suffragari; Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublatæ eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si fecus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio contrariorum

§.6. Non obstantibus Constitutionibus, & Or-

& Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus, & formis, & cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & decretis in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & consistorialiter, & alias in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indivisa, ac de verbo ad verbum; non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, ad præmissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 17. Martii 1636. An.XIII.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die decimasextima Martii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DV.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Prohibet Consilio Centum Virorum Civitatis Barchinonen., quominus pro officis, quæ gratis concedit solent, conferendis, aut obtinendis, quidquam accipiant.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Expositio Communitatis & Hominum Civitatis Barchinonen.

§.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Beltrandus de Suall nomine dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis Barchinonen., quod aliis sub die 13. Novembris anni 1634. a sapiente centum virorum gubernis dictæ Civitatis consilio statutum fuit, ut officia, quæ gratis concedi solent, vendi non possent, nullisque Consiliariorum hujusmodi quidquam directe, vel indirecte, etiam ratione imbusulationis, a quoquam recipere, posset pro concedendo, seu, ut concedatur, procurando quovis ex dictis officiis. Quare, ut fraudibus, & abusibus, qui forsân circa præmissa orti sunt, seu oriri possent dictus Beltrandus nomine eorumdem Communitatis, & hominum humiliter supplicari fecit, ut desuper opportune providere de benignitate apostolica dignamur.

Prohibitio, de qua in Rubr.

§.2. Nos igitur eosdem Communitates, & homines specialibus favoribus, & gratis prosequi volentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicata Bull. Rom. Tom.VI. Par.II.

tionis, suspensionis, & interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodata existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum ferie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, Consiliaris prædictis præsentibus, & futuris, ac quibusvis aliis personis, etiam ecclesiasticis secularibus, & quorumcumque Ordinum, ac Militiarum regularibus dictæ Civitatis cujuscumque dignitatis, gradus, & conditionis existant, sub excommunicationis latæ sententiæ poena, a qua nisi a Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente præterquam in mortis articulo absolvi nequeant, auctoritate apostolica, tenore præsentium districte prohibemus, ne pro dictorum officiorum, & cujuslibet illorum, gratis, ut præfertur, concedi solitorum concessione, seu collatione, aut imbusulatione, pecunias, vel aliam rem æquivalentem per se, seu interpositas personas directe, vel indirecte, ac sub quovis quæsito colore, ingenio, seu prætextu offerre, dare, aut promittere, vel exigere, sive etiam sponte oblatum recipere audeant, seu præsumant.

Derogatio contrariorum

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Civitatis, Ordinum, & Militiarum hujusmodi, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 9 Aprilis 1636 An.XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die nona Aprilis 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DVI.

Commissio Auditori Camera, ut contra Scalensem, & Ravellensem, ac alios quoscumque Episcopos in suis Ecclesiis non residentes procedat, & ad residendum compellat.

Ex Regest. in Secret. Brev.

Dilecto filio moderno, & pro tempore existenti Causarum Curie Camera Apostolica generali Auditori.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Dilecte fili salutem, & apostolicam benedictionem.

§.1. Exposuit Nobis nuper dilectus filius Commissarius Generalis Camera Apostolicæ, quod cum Honuphrius Episcopus Scalen., & Revellen. contraverit Decretis Sacri Concilii Tridentini, & Literis Apostolicis præsertim a Nobis super residentia editis, Ecclesiam Scalen., & Revellen. præfatum deserens, in partibus Lombardiæ multo temporis spatio se detinuerit, & detineat; propterea fuit personaliter

Cum Episcopus Scalen. & Ravellen. non præverit Decretis Sacri Concilii Tridentini.

naliter coram dilecto filio A. C. per Nos etiam specialiter pro executione prefatarum Literarum deputato monitus ad docendum se paruisse Literis Apostolicis prefatis super residentia, alias videndum se declarari incidisse in penas in eisdem Literis expressas; & deinde servatis servandis lata fuit contra ipsum sententia declaratoria incurfus prefatarum poenarum, quae sententia eidem intimata fuit; & licet ipse debuisset praemissis reverenter parere, tamen mala malis addendo contumaciter in non residendo apud suam Ecclesiam, & non parendo praemissis continuavit, & continuat in praedictum animae suae, ac praefatae Ecclesiae, & animarum sibi commissarum.

§.2. Quapropter idem Commissarius, ne tot defectus, & excessus, & transgressiones impuniti, & impunita remaneant, Nobis humiliter supplicavit, quatenus facultatem opportunam promulgandi, & infligendi contra ipsum Episcopum contumacem excommunicationis majoris, aliarumque censurarum poenas tibi concedamus.

§.3. Nos igitur omnium, & singulorum actorum, ac processuum contra prefatum Episcopum fabricati, citationumque, intimationum, oppositionum, aliorumque praemissorum, ac ceterorum quorumcumque hic de necessitate forsan exprimendorum tenores, statum litis, seu iudicii prefatorum pro expressis habentes, volentesque indemnitati animarum, & Ecclesiarum consulere, & omnibus remediis juris, ut Episcopi, quantum Nobis ex alto conceditur, apud suas Ecclesias resideant, providere, contumaciaque, & canonum transgressio fomitem non recipiant, sed in non parentes, & inobedientes debitis poenis in aliorum exemplum animadvertere motu proprio, certa que scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, tibi, & pro tempore existenti A. C. per praesentes committimus, & mandamus, ut tam contra prefatum Episcopum Scalen., & Revellen., quam contra quoscumque alios Episcopos in suis Ecclesiis, prout tenentur, non residentes, cujuscumque qualitatis, status, conditionis, & dignitatis, etiam specialem expressionem requirentes in quocumque loco, & ubique Terrarum commorantes procedas, & procedat, illosque ad residendum juris remediis opportunis, etiam promulgando, & infligendo contra ipsos, & quemlibet eorum excommunicationis majoris, aliasque censuras, & poenas etiam eisdem Ecclesiis ex eorum absentia gravatis applicando, cogas, & compellas cum facultate procedendi contra ipsos etiam per edictum publicum, constituto tibi summarie, & alias, quantum sufficere tibi videbitur, de non tuto accessu, aliisque omnibus, & singulis facultatibus necessariis, & opportunis.

§.3. Praesentes quoque Literas de subreptionis, vel obreptionis, aut intentionis

Clausulas apponit.

nostrae, & quovis alio defectu impugnari non posse; Sicque, & non alias per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate iudicari, & desiniri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§.9. Non obstant praemissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Cancellariae Apostolicae Regulis, & Conciliis generalibus, etiam de duabus diebus, omnibusque, & singulis etiam individuum, & specialem mentionem, seu expressionem, vel insertionem requirentibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die decima Junii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

D VII.

Poenitentia Lauretana, ejusque Poenitentiarum Majori Poenitentiarum subiectur, cum nonnullis aliis Decretis.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Attendentes universo gregi, in quo Spiritus Sanctus Nos Episcopum posuit, ad Ecclesiam Dei regendam, quam pretiosissimo sanguine suo Christus redemit, inter ceteras pastoralis officii nostri sollicitudines, ac curas, eam praecipue vigiliam mentis nostrae oculis anticipatam, experimur, qua & creditas Nobis oves prospicimus, & animarum consulimus salutem.

§.1. Hinc cum plura circa poenitentiarum nostrae officium ordinaverimus, aliquid etiam circa Rectorem, & Poenitentiarum, ut vocant, Minores Sanctae Domus Lauretanae providere, illisque novam facultatum formam, qua deinceps utantur, praescribere duximus opportunum; Motu proprio, & ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, per praesentes omnem potestatem, & auctoritatem quamlibet tam ordinariam, quam delegatam, nec non omnia privilegia, facultates, ac Indulta praefatis Rectori, & Poenitentiarum haecenus quomodolibet concessa a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris, & praesertim a Clemente VIII. (infrascriptis dumtaxat exceptis) omnino adimendes, revocantes, & annullantes.

§.2. Statuimus, & ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus dictus Rector, & Poenitentiarum auctoritati, potestati, ac regimini majoris nunc, & pro tempore existentis Poenitentiarum, non tamen quoad observantiam suorum regularium

Contrariis derogat.

Dat. die 10 Junii 636. An. XIII.

Exordium.

Urbanus tollit omnes facultates, & privilegia minoribus Poenitentiarum domus Lauretanae.

Illosque majori Poenitentiarum subiecit.

larium Institutorum, subiaceant quoad forum poenitentiale, prout supponimus, & submittimus: itaut deinceps nullus in praefata Sacrae Domus Lauretanae Rectorem, & Poenitentiarum, ac Poenitentiarum munus, illiusque administrationem, aut exercitium assumatur, vel admittatur, nisi praevio examine per ipsummet Majorem Poenitentiarum in Signatura Poenitentiarum hic in Urbe faciendo, aut alibi, si magis ipsi visum fuerit expedire, committendo, fuerit approbatus, & praefatae approbationis Literas patentes ab eodem Majori Poenitentiarum obtinuerit. Declarantes nostrae mentis, ac intentionis esse, ut praefati Rector, & Poenitentiarum sint, & esse censentur deputati, ac imposterum deputentur ad nutum, & voluntatem praedicti Majoris nunc, & pro tempore existentis Poenitentiarum.

§.3. Indulgemus vero, ut idem Major Poenitentiarum praefatis Rectori, & Poenitentiarum pro tempore existentibus concedere possit (salva tamen facultate addendi, & minuendi quotiescumque eidem Majori Poenitentiarum nunc, & pro tempore existentibus placuerit) juxta tamen formam, & tenorem Literarum nostrarum super facultatibus ejusdem Majoris Poenitentiarum per Nos editarum, ut praefertur, usum virgarum valeant in foro conscientiae tantum, & in ipsa dumtaxat Ecclesia Lauretana per se ipsos solos absolvere, audita prius sacramentali, & in actu ipsius sacramentalis confessionis quascumque personas sibi consentes, etiam Regulares, cujuscumque sint Ordinis, Congregationis, aut Instituti, etiam si ex praepcepto Superiorum, vel eorum Constitutionibus etiam a Sede Apostolica approbatis, vel alias ex Indulto Apostolico extra propriam Religionem peccata sua confiteri prohibeantur.

§.4. Item Major Poenitentiarum illis etiam concedere possit facultatem, ut praefertur, absolvendi a quibuscumque casibus, etiam Sedi Apostolicae, ac etiam in Bulla Coenae Domini reservatis, injunctis tamen salutaribus poenitentis, aliisque de jure injungendis, infrascriptis tamen exceptis.

I. Haereticis, vel schismaticis manifestis, aut condemnatis, seu in iudicio delatis, ac denunciatis, necnon iis, qui habent complices, fautores, vel receptatores, etiam si mortui fuerint, vel etiam si habeant solos conscios.

II. Iis, qui scienter legerunt, vel retinuerunt libros haereticos, vel sortilegos, sive negromanticos, aliosque libros contra fidem catholicam, vel christianam religionem, si ipsi in iudicio delati sint, aut si habeant complices, vel fautores, qui non degant, aut nati non sint in regionibus palam infectis, seu in quibus haereses impune grassantur.

III. Apostatis a fide christiana, qui palam habitu, vel actu se judaeos, turcas, mahometanos, vel infideles professi sunt, aut habent complices, fautores, seu conscios.

Bull. Rom. Tom. VI. Par. II.

Nonnullas facultates ipsi Majori Poenitentiarum auctoritate communicandas.

Et quidem absolvendi a casibus reservatis, exceptis aliquibus.

IV. Iis, qui officium Sanctae Inquisitionis, aut locorum Ordinarios illud exercentes, ac Vicarios, seu eorum Officiales in concernentibus ipsorum officium, aut executionem, vel testes in hujusmodi causis impediverint, seu respective facto, aut verbo offenderint.

V. Principibus, & aliis personis jurisdictionem, & jus imperii vicario etiam nomine habentibus, necnon personis Dominorum, seu Rerum publicarum administrationem, gubernium, vel regimen habentibus, vel habere solitis, necnon Magistratibus, ac etiam Episcopis, aliisque Praelatis superioribus, & inferioribus ordinariam jurisdictionem habentibus in publicis casibus, etiam si tunc Sedes Apostolica vacaret, aut Summus Pontifex propter infirmitatem, aliamve causam ita foret impeditus, ut celeriter consuli non posset.

VI. Iis, qui per se, vel per alium, aut alios de rebus christianae reipublicae, & catholicae religionis statum concernentibus in Christifidelium, aut catholicorum perniciem, & damnum Mahometanos, Turcas, vel alios infideles, sive haereticos, eorumve Principes, Duces, vel Capitaneos certiores fecerint.

VII. Interficiendis, mutilantibus, vulnerantibus, incarcerantibus, vel hostiliter insequentibus, ac retinentibus invitos, ac alias offendentes S. R. E. Cardinales, Patriarcas, Archiepiscopos, Episcopos, & Sedis Apostolicae Legatos, vel Nuncios, aut eosdem reiciendis a suis Diocesis, Terris, Dominiis, aut Territoriis, eaque mandantibus, seu rata habentibus, vel praestantibus auxilium, consilium, & favorem.

VIII. Conspirantibus in personam, vel statum Summi Pontificis, seu in S. Apostolicam Sedem.

IX. Iis, qui nostrae Constitutioni inquirendo de statu reipublicae christianae, vel Sedis Apostolicae, vel de vita, aut morte Summi Pontificis, ejusque consanguineorum usque ad tertium gradum inclusive contraverint.

X. Cardinalibus, aliisque, qui Sede Apostolica vacante, in censuras, & poenas contentas in Constitutionibus fel. rec. Gregorii XV., & nostra super Romani Pontificis electione emanatis inciderint.

XI. Cardinalibus, aliisque, qui vivente Romano Pontifice de quopiam eligendo, vel excludendo tractaverint, aut suffragia inierint.

XII. Iis, qui Presbyteros publice occiderint.

XIII. Apostatis ab Ordinibus, seu Religionibus approbatis, quamdiu extra Ordinem permanferint, nisi post reditum ad Religionem, vel saltem post reassumptum habitum regularem cum firmo proposito, & brevi termino ad praesentandum intra claustra suis superioribus, aut religioni, aut nisi ultramontani sint, vel aliis longe distent, & propter inopiam habitum reassumere nequeant, quibus assignari poterit congruum tempus ad id faciendum, quo

H 2 cla-

elapso, fiant, se ratione moræ relapsuros in eandem excommunicationis sententiam, & censuras, quibus erant antea inodati, de quo etiam Pœnitentiarii debeant ipsos pœnitentes monere.

XIV. Regularibus intra claustra mulierum introductibus ad usus inhonestos.

XV. Regularibus, vel secularibus, qui munera a Regularibus acceperint, ante factam per eos restitutionem, si dicta munera valorem decem scutorum exceperint, exceptis tamen rebus medicinalibus, & devotionis, ac aliis juxta Constitutionem Clementis VIII. sed hoc non nisi facta elemosyna arbitrio confessarii.

XVI. Iis, quorum absolutiones ita immediate reservate sunt Summo Pontifici, ut nec Major Pœnitentiarius possit absolvere juxta tamen tenorem Literarum a Nobis expeditarum &c.

XVII. Omnibus ab homine nominatim excommunicatis, interdictis, vel suspensis, aut pro talibus declaratis, sive denunciatis.

Aliæ Facultates communi-
cande.

§.5. Similiter possit Major Pœnitentiarius illis concedere, ut per se ipsos tantum, ut prefertur, omnia vota dispensando, etiam commutare possint in alia pietatis opera, castitatis, religionis, subsidii Terræ Sanctæ, & Sancti Jacobi in Compostella dumtaxat exceptis.

Clausula.

§.6. Decernentes, præsentis Literas, omniaque in illis contenta, etiam ex eo quod Generalis Præpositus Societatis Jesu, Rector, & Pœnitentiarii præfati, aliique quicumque in præmissis quomodolibet interesse habentes, seu habere prætendentes prædicti non consenserint, aut vocati, vel auditi non fuerint, aliaque quavis de causa quantumvis legitima, & juridica de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari nullatenus posse, sed eas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & a dicto Generali, Rectore, & Pœnitentiariis prædictis, aliisque, ad quos spectat, & pro tempore spectabit, inviolabiliter observari. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio
contrariorum

§.7. Non obstantibus Cancellariæ Apostolicæ Regulis, & quatenus opus sit, illa de jure quæsito non tollendo, aliisque quibuscumque Constitutionibus Apostolicis, ac dictæ Pœnitentiariæ, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis, Indultis, & Literis Aposto-

licis, vivæque vocis oraculis dictis Generali, Religioni, Rectori, & Pœnitentiariis prædictis, & quibuscumque aliis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, etiam cum clausula, quod nunquam sub istis revocatoriis comprehendantur, & etiam quod addita fuerit clausula, quod dicta privilegia, indulta, & alia supradicta semper censeantur concessa sub posteriori data, & aliis decretis, & clausulis, etiam insolitis, etiam speciali mentione dignis, etiam derogatoriis derogatoriis, in genere, & in specie, etiam motu pari, & consistorialiter, ac aliis, in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis, specifica, & expressa, ac individua, & de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum infererentur, præsentibus pro expressis, & ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permansuris, ad effectum præmissum plenissime derogamus.

Transumptis
danda fides.

§.8. Volumus autem, quod transumptum istarum literarum manu, & sigillo Majoris Pœnitentiarii munitum, & præfato Generali Societatis Jesu, Rectori, & Pœnitentiariis prædictis nunc existentibus extrajudicialiter etiam intimum vim habeat solemnibus publicationis.

Dat. die 20.
Junii 1636.
An. XIII.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die vigesima Junii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DVIII.

Extensio Constat. Gregor. XIII. ne Subcollektorum, & Commissariorum spoliatorum crimina possent cognosci nisi a Nunciis, & Collectoribus Apostolicis in Regno Neapolitano, ad excessus, & crimina patrata in aliis Regnis, & Provinciis, etiam expletis eorum officiis.

Gregor. XIII. edidit sanctionem solum pro Regno Neapolis, quam habes inter ipsius Constitut. num. XL. Cupientes. Tom. IV. Par. III. fol. 293.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad perpetuam rei memoriam.

Alias rec. mem. Gregorius Papa XIII. Prædecessor noster indemnitati Ministrorum Cameræ Apostolicæ, ne illis molestiis, litibus, vel incommodis fatigaretur, opportune providere cupiens, quod omnes,

Gregor. XIII.
Conit. refer-
tur.

omnes, & singulae causæ tunc motæ, & pro tempore movendæ quorumvis prætenforum excessuum, criminum, & delictorum, per quoscumque Subcollektores, & Commissarios, tam generales, quam particulares, in quibuslibet Provinciis, Civitatibus, & Diocesis Regni Neapolitani per tunc, & pro tempore existentem Nuncium Apostolicum, & Collectorem generalem deputatos commissorum, à tunc, & pro tempore existente Nuncio Apostolico in eodem Regno commorante solum, non autem à quibusvis aliis iudicibus, etiam locorum Ordinariis, non modo durante eorum officio, sed etiam post ipsum dimissum, donec viverent, audiri, cognosci, & decidi possent, & deberent, statuit, & ordinavit, prædictisque iudicibus, & locorum Ordinariis, ne in illis sese quovis preterito, seu quæsito colore intrmittere quoquo modo ullatenus audent, vel præsumerent, districtius inhibuit, prout in suis Literis in simili forma Brevis, sub datum die quarta Januarii 1565. Pontificatus sui anno tertio expeditis plenius continetur.

Dubium pos-
tea exortum.

§.1. Cumque postea, ut accepimus, fuerit a nonnullis pluries dubitatum, an prædictæ literæ Gregorii Prædecessoris prædicti de prætenforum excessibus, criminibus, & delictis, durante officio dumtaxat, an vero etiam de aliis post finitum eorum officium, ut præmittitur, donec viverent, commissis intelligi deberent, & desuper diversas resolutiones etiam ad invicem contrarias emanasse asseratur;

Causæ facien-
de de clara-
tionis.

§.2. Nos volentes finem huic dubitationi imponere, & attendentes, quod iidem Subcollektores, & Commissarii in concernentibus servitium Cameræ, & Sedis Apostolicæ, timidiore, ac negligentiores fierent, si sub prædictorum iudicum, & Ordinariorum jurisdictione post finitum eorum officium se relictum iri timerent, & propterea justo metu retraherentur a gerendo, ut debent, eorum officio, dubitantes, ne illo finito, prædicti iudices, & locorum Ordinarii in illos, etiam ex causis mendicatis faverent, quod in non modicum præjudicium Cameræ, & Sedis Apostolicæ redundaret;

Declaratio, &
extensio, de
qua in Rubr.

§.3. Idcirco motu proprio, & ex certa scientia nostra, deque apostolica potestate plenitudine, hac nostra Constitutione perpetuo valitura cognitionem, & decisionem causarum prætenforum excessuum, criminum, & delictorum per prædictos Subcollektores, & Commissarios a Nunciis, & Collectoribus Apostolicis, tam in Regno Neapolitano, quam in aliis Provinciis, Regnis, & locis, etiam speciali nota dignis, & ubique terrarum, & locorum per Nuncios, sive Collectores Apostolicos hætenus deputatos, & pro tempore deputandos quomodocumque, etiam post finitum officium commissorum, ut prætenditur, & patrarum spectasse, & spectare ad Nuncios, & Collectores Apostolicos pro tempore existentes, privative quoad quos-

cumque alios iudices, etiam locorum Ordinarios prædictos, declaramus, & quatenus opus foret, decernimus, statuimusque, & ordinamus.

Præcavetur,
ne majora
hinc crimina
pattentur.

§.4. Ne autem inde major libertas delinquendi, & excessus committendi eidem Subcollektoribus, & Commissariis nascatur, & ne eorum delicta, si quæ patrata essent, vel patrarerunt imposterum, impunita remaneant. Volumus, quod Collectores Cameræ Apostolicæ nunc, & pro tempore existentes, inter Statuta per eorum Subcollektores, & Commissarios observanda, tamquam ab ipsis Collectoribus jam edita, etiam impressa, addant comminationem de eosdem Subcollektores, & Commissarios privando hujusmodi privilegio, & illos ordinariæ jurisdictioni submittendo, quatenus post dimissum officium ab excessibus, & delictis committendis non se abstineant, quodque prædicta Statuta in Cancellariis Episcoporum, & aliorum ordinariarum retineantur, & sicut affixa.

Clausula præ-
servativa.

§.5. Decernentes, præsentis Literas, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo quod quicumque in præmissis interesse habentes, seu habere prætendentes, vocati, & auditi non fuerint, aut præmissis non consenserint, seu causæ, propter quas præsentis emanarint, adductæ, verificatæ, seu alia iustificatæ non fuerint, aut alia quavis de causa de subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis nostræ, vel alio quopiam defectu notari, impugnari, invalidari, in jus, vel controversiam revocari, ad terminos juris reduci, seu adversus illas restitutionem in integrum, a peritionem oris, aut quodcumque aliud juris, vel facti, gratiæ, vel justitiæ remedium impetrari, seu eo impetrato quemquam uti, seu se juvare in iudicio, vel extra nullatenus posse, sed eas semper validas, firmas, & efficaces existere, & fore.

Clausula sub-
lata.

§.6. Sicque per quoscumque Judices ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & Nuncios, sublata eis, & eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Derogatio
contrariorum

§.7. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra de jure quæsito non tollendo, ac quibusvis aliis Cancellariæ Apostolicæ regulis, necnon Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, sub quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & consistorialiter, ac aliis quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus spe-

specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium tenores presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 2. Junii 1636. An. XIII.
Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die secunda Julii 1636. Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

Annao Nativitate Domini Nostri Jesu Christi 1636. die vero 13. mensis Septembris, tempore Pontif. SS. D. N. Urbani divina providentia Papa Octavi anno eius XIII. supradicta Bulla publicata fuit per Urbem in locis solitis, & consuetis, per me Silverium Pontivorum SS. D. N. Papa Curf. Jo: Bapt. Riccius Mag. Curf.

DIX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Facultas Collectori spoliatorum Portugalliae procedendi ad promulgationem censurarum contra violatores Immunitatis Ecclesiasticae in Regnis Portugalliae, & Algarbiorum.

Ven. Fratri Alexandro Episcopo olim Neocaesaren. jurium, & spoliatorum Camera nostra Apostolica in Portugallia, & Algarbiorum Regnis archiepiscopi Collectori generali.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ven. frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Facultas, de qua in Rubr. §.1. Licet vigore tuarum facultatum generalium, in quibus tibi tribuuntur illae, quae competunt Nunciis Apostolicis, potueris, & possis, ad monitionem, & declarationem, ac promulgationem censurarum, etiam in Literis in die Coenae Domini legi solitis, aliisque Constitutionibus, & decretis Apostolicis, etiam conciliaribus contentarum procedere, ac quascumque censuras, & poenas etiam pecuniarias infligere, & promulgare contra quoscumque ejusdem Regni Portugalliae habitatores, & indigenas, & praesertim contra illos, qui immunitatem ecclesiasticam violantes audent spoliare, vel turbare Ecclesias, & loca pia quaecumque in suis bonis etiam stabilibus, & juribus etiam in dote, seu augmento, & aliis per Christianos, etiam onere Missarum, Anniversariorum, seu aliorum operum piorum, donatis etiam inter vivos, seu relictiis, vel aliis ab ipsis Ecclesiis, & locis piis hactenus possessis; nihilominus ad majorem cautelam, ac jura juribus, facultateque facul-

tatibus addendo, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed ex certa scientia, ac matura deliberatione nostris, deque apostolica potestatis plenitudine, tibi ad monitionem, & declarationem, ac promulgationem quaecumque censurarum, etiam in Literis in die Coenae Domini legi solitis, aliisque Constitutionibus, & Decretis Apostolicis, etiam conciliaribus contentarum procedendi, ac quascumque censuras, & poenas etiam pecuniarias infligendi, & promulgandi contra quoscumque Regnorum Portugalliae, & Algarbiorum habitatores, & indigenas, ac quoscumque quaecumque officia, & munia, etiam temporalia obtinentes, & exercentes, cujuscumque qualitatis, status, ordinis, conditionis, dignitatis, & praeminentiae, etiam speciali expressione, & nota dignae, & praesertim contra illos, qui, ut praesertur, immunitatem ecclesiasticam violantes, audent spoliare, vel turbare Ecclesias, & loca pia quaecumque in suis bonis etiam stabilibus, & juribus per Ecclesias, & loca pia possessis, etiam in dote, seu augmento, & aliis per Christianos, etiam cum onere Missarum, Anniversariorum, seu aliorum piorum operum, ut supra donatis, vel relictiis, necnon quos, quibus, ubi, & quando opus fuerit, etiam per edictum publicum, confiso de non tuto accessu, ac sub praefatis, & aliis censuris, & poenis ecclesiasticis, etiam pecuniariis arbitrio tuo applican., ipsaque censuras, & poenas infligen., declaran., aggravan., reagravan., & moderan., citandi, & inhibendi, omniaque alia, & singula in praemissis, & circa ea quomodolibet necessaria, & opportuna, etiam illa tunc, vel fuerint, quae magis specialem, specificam, & expressam requirerent mentionem, faciendi, dicendi, gerendi, & exequendi, necnon quaecumque per immunitatis ecclesiasticae violatores hujusmodi in ejusdem immunitatis ecclesiasticae praedictum pro tempore quomodolibet attentata, & innovata, revocandi, cassandi, irritandi, & annullandi, nulliusque roboris, & momenti fuisse, & fore decernendi, & declarandi, plenam, liberam, amplam, & absolutam facultatem, & auctoritatem, apostolica auctoritate, tenore praesentium concedimus, & impertimur.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac quibusvis dictorum Regnorum, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, ac irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, ac aliis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de

Contrariis derogatio.

de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores presentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis aliis in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Dat. die 2. Julii 1636. An. XIII.
Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die secunda Julii 1636, Pontificatus nostri Anno Decimotertio.

DX.

Ex Regest. in Secret. Brev. Confirmatio Decretorum pro Reformatione Provinciae Turoniae Ordinis S. Francisci Reformatorem, seu Recollectorum in Francia.

URBANUS PAPA OCTAVUS

Ad futuram rei memoriam.

Causae facien. de reformatione in Provincia Turoniae. §.1. Exponi Nobis nuper fecit dilectus filius Cherubinus a Marcigniaco Ordinis Fratrum Minorum Sancti Francisci de Observantia Professor, & Provinciae Sancti Francisci ejusdem Ordinis Pater, quod cum pro restitutione Regularis observantiae, & reformatione in Provincia Turoniae dicti Ordinis introducenda, nonnulli articuli, sive decreta a dilecto filio Joanne Baptista a Campana dicti Ordinis Ministro Generali sub die 24. Maii praesentis anni facta fuissent tenoris subsequents, videlicet:

Decreta a Ministro Generali Ordinis pro hujusmodi reformatione edita. §.2. Pro restitutione Regularis observantiae, & Reformatione in Provincia Turoniae introducenda efficaciter, necnon favore promovenda, destinetur in primis a Reverendissimo Patre Ministro Generali pius, probus, & prudens Commissarius ex Provinciis Reformatis, eidem Reformationi ex corde addictissimus, qui plenaria ejusdem Reverendissimi Patris auctoritate fultus, a Sanctissimo Domino nostro ad certiora intentae Reformationis executionem, & promotionem confirmandus, singulos dictae Provinciae Conventus pedestes visitet, abusus tollat, depravatos mores evellat, & quaecumque proprietatem aliquam, sive in communi, sive in particulari, seu Regula transgressionem redolere videbuntur, juxta Declarationes DD. Nicolai III., & Clementis V. procul exterminet, purum Seraphici nostri Instituti cultum, sine ulla dispensatione stabiliat, atque in Capitulo proxime celebrando, pro Reformatione amplexanda, haec sequentia instituat.

Primo, quod dictus Commissarius, tempore suae visitationis, Fratres dictae Provinciae ad Reformationem sectandam moneat, alliciat, & exhortetur; eorum ve-

ro, qui reformationi sectandae se dederint, nomina diligenter sumat, & juxta peculiare statutum, ad postulationem, & in favorem novem Provinciarum de familia, Nationis Gallorum in Capitulo Romano anno 1625. editum a dicto Domino Nostro confirmatum, & rursus in ultimo Generali Capitulo Toletano renovatum, & ut supra confirmatum anno 1633. tres, aut quatuor Conventus Recollectionis deputet, prout dictae Recollectioni, seu Reformationi commodiores, & aptiores judicaverit, ad quos dictos Fratres Reformationi addictos de familia transferre, & in iisdem collocare curet.

Ex iisdem Fratribus tres, aut quatuor inter ceteros pietate, & religione conspicui assumantur, & dictorum Conventuum Reformatorem Guardiani instituantur. Nec ullus deinceps in Conventibus Reformati superior esse possit, qui in aliquo ex ipsis per biennium saltem communem vitam reformatam non duxerit, & ducere possit, praehabito in scriptis Patrum Guardianorum antecessorum simul, & Discretorum Reformatorum Conventuum probato testimonio.

In Conventibus autem ad Reformationem destinatis, Reformati Novitios recipiant, & ipsos in eisdem ad strictioris, & purioris observantiae nostrae praescriptum, sedulo instruant, & informant.

Et ne extra dictos Conventus Reformationis, studiorum causa, Fratribus Reformati egressus artium, & Sacrae Theologiae studia in eisdem Conventibus designentur;

Quod Fratres non Reformati ad reformationem transire volentes a Patre Ministro Provinciali licentiam petant, qui nullis petentibus illam denegat, sub poena privationis sui officii ipso facto incurrenda, nisi qui eam postulaverint, Guardiani, & Discreti Conventuum Reformatorum inhabiles ad reformationem videantur, aut judicii, vel poenarum sibi injunctarum subterfugiendarum causa Reformationem praetendant, juxta Decretum Sacrae Congregationis Romae 14. Junii anni 1628.

Quod Professores in familia, ad dictos Reformatos transeuntes, habeant annum continuum a die sui ingressus in Reformationem ad deliberandum, an manere in hac strictiori observantia voluerint. Post annum autem completum praedicti Professores extra Reformatos habeantur ut Professores in Reformatione, nec ipsi, sicut nec Professores in Reformatione, ab eadem, Reformatorumque ipsorum obedientia, quocumque preteritu, aut colore quaesito recedere possent, aut ab ullo Superiore dictae Provinciae sub dicta poena privationis suorum officiorum ipso facto pariter incurrenda, educi, & ad Conventus de familia transferri valeant.

Quod per Visitatores, aut Commissarios dictae Provinciae, in quolibet Capitulo Provinciali, aut Congregatione capitulari cre-